



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Concilium Metense In Regno Lotharii A Belgicae Primae episcopis sub Arnulpho rege celebratum Kalendis Maii, anno Christi, vt conjectura est, DCCCXXCVIII. Stephani papae V. anno III. Odonis regis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

gis Arnulphi electionem huic Synodo congregande occasionem aliquam præbuisse. De Luitberto archiepiscopo qui Concilio præfuit, de eiusque rebus præclare gestis, plurima scribit Serarius libro quarto historiæ Moguntinæ.

CONCILIVM METENSE
IN REGNO LOTHARII A BELGICÆ PRIMÆ
episcopis sub Arnulpho rege celebratum Kalendis
Maii, anno Christi, ut coniectura est, DCCCXXCVIII.
Stephani papæ V. anno III. Odonis regis primo.

TITVL CANONVM.

- I. *Quod pax a Paganis, & contumacibus Christianis per emanationem morum a Deo imploranda sit.*
- II. *Vt decimas ecclesia solus sacerdos accipiat: ut nullam illarum partem laici seniores usurpent.*
- III. *Vt unus presbyter unam solummodo habeat ecclesiam.*
- IV. *Vt de manso ecclesiæ nullus census exigatur: & ne proseptula precium detur.*
- V. *Vt nullam in domo sua feminam habeant sacerdotes.*
- VI. *Vt presbyteri libros & vestimenta sacerdotalia ostendant episcopo, & chrisma sub sera custodiunt: clerici armis, aut laicorum indumentis non vstantur: & de iis qui infantes in bapti-*
- VII. *Vt nemo cum Iudeis edat, aut bibat.*
- VIII. *Vt Missæ in locis non consecratis non fiant: & basilica & chorepiscopis consecrata ab episcopis consecrentur.*
- IX. *De duabus sanctorialibus obfacinus in ergastulum retruis: & de diacono sacrilegium confessio.*
- X. *Excommunicati qui Folcardum presbyterum euirarant.*
- XI. *Excommunicati prouincia valetatores: item Theodricus & Lantbertus.*
- XII. *Excommunicati qui communionem habebant cum excommunicatis.*
- XIII. *Preces cum triduano ieiunio indicit & pro rege.*

P R Æ F A T I O.

ANNO ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCCCXXCVIII. regni domini Arnulphi glorioissimi regis primo, die Kalendarum Maiarum aëta est Synodus in suburbio Metensis ciuitatis, in ecclesia sancti Arnulphi, ab archiepiscopo venerabili Ratbodo Treuirense, & a Rotberto prædictæ ciuitatis præsule. Dado quoque Virdunensis ecclesiæ reuerentissimus episcopus, & Arnoldus Tullensis episcopus, & Stephanus vene-

ANNO CHRISTI
888. rabilis abbas, & multisacerdotes, cum comitibus, & pluri-
bus nobilibus, & Deum timentibus viris adfuerunt. Vbi
pari voto, parique consensu, pro vera caritate & tranquili-
tate sanctæ Dei ecclesiæ, quam redemit Christus sanguine
suo, sibi inuicem occurrentes, hæc in commune præ-
sules locuti sunt.

C A N O N E S.

I.

Episcopi, & presbyteri, & fideles laici, qui ante nos fuerunt iuxta sacram Canonum auctoritatem, saepius in Christi nomine conuenientes, iustitiam Dei statuerunt, & idcirco pacem suis diebus habuerunt, iuxta illud quod scriptum est: *Pax* Psal. 118.
multa diligentibus legem tuam, Domine, & homini- bus bonæ voluntatis. Nos autem, qui tanto tempore transacto comprouinciale Synodus non habuimus, & inuicem querere misericordiam Dei negleximus, videmus in nobis completum esse, quod per prophetam Dominus dicit: *Terram vestram in confectu vestro alieni deuorant, & erit in vastitate hostili.* Ergo qualiter a Northmannis hæc omnia in nobis completa sint nemo dubitat. quomodo etiam a peruersis Christianis vndique attiramur, omnes in commune sentimus, sicut scriptum est: *Populum tuum, Domine, humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt.* Quærenda est igitur pietas Christi, qua Pagani arceantur, & statuenda est lex Dei, qua crudelissimi nostræ gentis homines a vastatione pauperum repellantur. Idcirco quidquid in nobis prauæ voluntatis est abiiciamus, & de Paganis Christo auxiliante pacem ob-

592 STEPHANVS CONCILIVM ARNVLPHVS REX GERMANIE.
P. V. ODO REX FRANCORVM.
tinere valebimus. Auctoritatem sanctorum patrum
contumacibus nostris imponamus, & velint no-
lint, pro timore etiam gloriosissimi nostri senioris
Arnulphi regis, ad satisfactionem venire faciemus.
Et sic iustitiam Dei statuendo, poterimus eius mi-
sericordiam inuenire, quem nos cognoscimus prau-
uis aetibus grauiter offendisse.

LAM
CHR
838

II.

Malach. 3. Dominus loquitur per prophetam dicens: *Af- ferte omnem decimam in horreis meis, & probate me in hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas caeli, & dedero vobis fructus usque ad abundantiam.* Scimus enim, quoniam peccatis exigentibus clauditur caelum, & fit nostris diebus saepissime fames. Ideo statuimus, ut deinceps nemo seniorum de ecclesia sua accipiat de decimis aliquam portionem, sed solummodo sacerdos qui eo loco seruit, ubi antiquitus decimae fuerant consecratæ, ipse eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, & basilica ædificia, vestimenta quoque sacerdotalia, & cetera utensilia suo ministerio congrua obtainenda. Hæc omnia episcopi de suis ecclesiis, & ceteri attendere decreuerunt.

III.

Vnusquisque presbyter vnam solummodo habeat ecclesiam: nisi forte antiquitus habuerit capellam, vel membrum aliquod adiacens sibi, quod non expedit separari. Est enim multum laudabile coram Deo & hominibus, si vnuis presbyter vnam ecclesiam salubriter prouiderit, & utiliter rexerit.

quoniam

L'ANNO
CHRISTI
888. quoniam non est nobis cura animarum adhibenda
pro temporali commoditate : sed cunctis sacerdo-
tibus est optandum , ut cum suis ouibus a Christo
recipient pascua vitæ æternæ.

I V.

De uno manso , & de terris pro sepultura datis,
& pro quatuor mancipiis , vel eorum procreatio-
ne , nullus census deinceps exigatur : & pro sepul-
tura nullum premium detur.

V.

Sacerdotes , qui vice Mosis iram Domini super Exod. 32.
populum sequentem precibus suis debent mitiga-
re , attendantes etiam ne illud fiat quod scriptum
est : *Maxima ruina populi in culpa sacerdotum fuit,* Exod. 32. 5. Ezdræ 9.
nequaquam in sua domo secum aliquam feminam
habeant , nec matrem , nec sororem : sed auferen-
tes omnem occasionem satanæ , angelicam vitam
ducant , & Domino Deo casto corpore & mundo
corde fine tenus seruant. Nam licet hoc sacris lite-
ris crebrius inhibitum esse videatur , tamen quia
hoc nefas in quibusdam oriri videbatur , idcirco
communi decreto statutum est , & hoc interdictum
a sancta Synodo nimium laudatum est.

V I.

Cuncti presbyteri ut libros & sacerdotalia vesti-
menta suo episcopo in proxima Synodo ostendat , & ut chrisma suum sub sigillo & sera semper
custodian , a prædictis episcopis expresse commen-
datum est. Et ut nemo clericorum arma portet , vel
indumenta laicalia induat , id est cottos vel mantel-
los sine cappa non portet , & laici cappas non por-

Concil. Tom. 24.

Ffff

594 STEPHANVS ARNVLPHVS R. GERMANIE,
P. V. CONCILIVM ODO REX FRANCORVM.

tent. Et nullus alteri suscipiat a fonte infantem, nisi qui apprime signaculum, id est abrenuntiationem diaboli, & professionem catholicæ fidei tenerit: & infantem nequaquam duo vel plures, sed unus a fonte baptismatis suscipiat. quia in huiuscmodi secta diabolo datur locus, & tanti ministerii reuerentia vilescit. Nam unus Deus, unum baptisma, unus, qui a fonte suscipit, debet esse pater vel mater infantis. Hæc omnia generaliter interdicta sunt, quia & grandis leuitas erat, & grauitas vel religio clericalis nimis in talibus viliis efficiebatur.

VII.

Guntbertus Metensis ecclesiæ primicerius obtulit libellum proclamationis super Iudæos qui habitant Metis. Quapropter interdictum est, iuxta capitula sanctorum patrum, ut nemo Christianorum cum eis manducet & bibat, vel quidquid comedи aut potari potest a Iudæis accipiat. Nimis enim, iuxta quod ait Cæsarius Arelatensis ecclesiæ episcopus, indignum est atque sacrilegum, eorum cibos a Christianis sumi, cum ea, quibus nos fruimur, ab illis iudicentur immunda, ac sic inferiores incipient esse Christiani quam Iudæi. Et omnes eorum conuiuas ipse, & sanctus Syagrius Æduorum episcopus, cum aliis multis, excommunicauerunt.

VIII.

In locis vero non consecratis, id est in solariis, siue in cubiculis, propter infirmos vel longius iter, a quibusdam presbyteris sacrificium offerebatur: quod omnimodis interdictum est. Et ut ba-

Concilium
Agathense
Can. 40.

Concilium
Maricco-
nense I.
Can. 15.

ANNO CHRISTI 888. silicæ a chorepiscopis consecratæ ab episcopis consecrarent roboratum est: quia iuxta decreta Damasi papæ, Innocentii, & Leonis, vacuum est atque inane quidquid in summi sacerdotii episcopi egerunt ministerio: & quod ipsi iidem sint qui & presbyteri, sufficienter inuenitur.

Damafus
epist. 4.
Leo epist.
92.

IX.

Duæ sanctimoniales propter suum facinus de monasterio sancti Petri sine velamine erant eiectæ: sed iuxta sacros Canones sancta constituit Synodus, ut velamina illis redderentur, & intra monasterium in ergastulo ponerentur, paruo pane, & aqua breui, cum abundantia diuini verbi, usque ad satisfactionem fruerentur. Quidam etiam diaconus, qui de sacrilegio confessus & conuictus fuit, pro misericordia in carcere ponи iussus est, interdicto ministerio, & ut pro eo omnes generaliter orarent iniunctum est.

X.

Quædam femina, nomine Aua, cum sui fratri consilio & auxilio, qui vocatur Folcrius, & cum aliis consanguineis suis, suum maritum dimisit, & ad eum redire noluit. Vnde illorum sacerdos seruus Dei, vocabulo Folcardus, ad suam dominam & ad eius fratrem veniens, ut eos a tanto scelere traheret, confessim ab eodem & suis complicibus castratus est. Pro his omnibus ad Synodus vocati venire noluerunt: & idcirco ad satisfactionem excommunicati sunt.

XI.

Viri pestilentes vastabant miserabiliter istam

Concil. Tom. 24.

Fff ij

596 STEPHANVS CONCILIVM ARNVLPHVS REX GERMANIAE.
P. V. ODO REX FRANCORVM.

ANNO
CHRISTI
886.

prouinciam. Pro quo scelere ad Synodum vocati,
(sicut scriptum est: *Eripite pauperem & egenum*) alii
P. ad. 34. venerunt, alii venire noluerunt. Illi qui adfuerunt,
Synodo satisfecerunt: ceteri autem canonice ex-
communicati sunt. Pari etiam tenore excommu-
nicatus est quidam homo, vocabulo Theodricus,
cum complicibus suis, quia quamdam viduam fu-
giendo prostratam super corpus sancti Euentii ra-
puit, & de monasterio traxit, & in vxorem sibi
eam taliter sociauit. Quidam vir nomine Lantber-
tus interficiens consanguineum suum, & ducens
eius vxorem nomine Vvaldradam, iurauit co-
ram archiepiscopo, quod tale coniugium dimitte-
ret, & iterum ei se sociauit, & adhuc eam habet:
idcirco excommunicatus est.

XII.

Quæsitum est a sancta Synodo, quid de iis sacra-
fieri auctoritas iuberet, qui cum prædictis excom-
municatis communionem habeant. Nam non tan-
tum laici, verum etiam presbyteri in celebratione
Missæ excommunicatos recipiunt: & quid de his,
qui in eadem excommunicatione mortui fuerint.
Verum ad hæc tanta auctoritas prolata est. Sanctus
Petrus apostolus in ordinatione sancti Clementis
ita plebes alloquitur: Si inimicus est alicui pro
actibus suis, vos cum illo nolite amici esse: & pru-
denter obseruare debetis, auertere vos ab eo,
cui ipsum sentitis aduersum: sed nec loqui his,
quibus ipse non loquitur. Istius transgressores
sanctus Petrus & omnis auctoritas excommuni-
cat. Seruis autem, ac propriis libertis, siue benefi-

Clemens
epist. 1. ad
Iacobum.

STEPHANVS METENSE. ARNVLPHVS REX GERMANIE. 597
P.V. ODO REX FRANCORVM.

ANNO CHRISTI 888. ciatis, venerabiles episcopi in communione dominorum absolutionem dederunt. Sanctus Leo papa de excommunicatis, & ita defunctis, taliter decreuit: Horum causa iudicio Dei est seruanda, in cuius manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differretur. Nos autem quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non possumus.

Epist. ad
Ruficu[m]
Narbonen-
sem cap. 7.

XIII.

Precando rogauerunt predicti episcopi, orare pro domino rege Arnulpho, & triduanum in proximo celebrare iejunium, ubi cum litanis & magna corporis afflictione precemur Deum, ut faciat nos conuerti ad se in toto corde & animo volenti, adaptaperiat cor nostrum in lege sua & in praeceptis suis, & faciat pacem, & placeat Redemptori nostro eripere oppressos, reuocare in angustiis constitutos: & sic talia agendo mereamur obtinere hic indulgentiam, & in futuro pacem sine fine mansuram. Amen.

NOTA IACOBI SIRMONDI SOCIETATIS IESV.

* *Concilium Metense.*] Irrepsit in contextum nota annorum Christi, & Arnulphi, quæ abest a vulgatis, nec constare de illa potest nisi ope veteris alicuius exemplaris. Si coniecturæ indulgendum est, possit fortasse Concilium hoc ad annum DCCCXCIII. non inepit referri, quo anno, ut auctor est Regino, Arnulphus in Lotharii regnum venit, & praecipuas eius urbes lustravit, post bella Northmannorum, quæ proximis duobus annis antecesserant.

NOTA SEVERINI BINII.

* *Concilium.*] Propter mendum actorum sciri nequit quoto anno Christi, quove pontifice præcise hæc Synodus congregata fuerit: quia tamen idem Ratbodus Treuerensis huic & præcedenti Moguntiae interfuit, & propter Northmannorum incursiones tempore Arnulphi regis celebratam esse constat, ex cap. 1. & ultimo, nulla mibi

Ffff iii

ratio occurrit, ob quam ego hanc Synodus haec tenus Moguntinæ statim postpositam, nunc ab ea disiungem.

CONSTITVTIO RICVLFI
S V E S S I O N V M E P I S C O P I .

ANNO
CHRISTI
889.

Anno incarnationis dominice DCCCLXXXIX. indictione VII.

Ego Riculfus humilis Sueffionum episcopus, consideratis parœciæ diuinitus nobis commissæ necessitatibus, atque comministris nostris competenti habita ratione, inspirante pariter & opitulante Domino, quædam, quæ ad sacerdotum nostrorum commonitionem, vel vulgaris populi eruditionem pertinere videbantur, modeste & utiliter pro viribus tractare disposui. Et quamvis totius Christianæ vitæ regula diuinæ scripturæ paginis satis superque teneatur inserta, non incongruum tamen fore putaui, quædam ex his, quæ simplicium observationi conueniunt, breuibus & lucidis capitulis annotare, vobisque confacerdotibus, & cooperatoribus nostris habenda simul & cerebrius legenda committere, ut si tanta diuinæ & canonicæ auctoritatis volumina reuoluere non sufficitis, hæc saltem breuissima & apertissima manualiter frequentetis, & commissis vobis plebibus salubrem viuendi normam his admonitiunculis præmonstretis. Ita enim cooperante Domino, & periculo ministerii vestri vos poteritis exuere, & cum subiectis populis ad cælestis regni gaudia properare.

I.

Attendite ergo, quia nobiscum solitudinem gregis dominici percepistis, & in sacerdotali ministerio secundi ordinis & dignitatis locum possidetis. Et sicut nos, licet immeriti, apostolorum vices in hac ecclesia agere debemus, ita & vos quoque septuaginta duorum discipulorum nobiscum ministerium in hac plebe dominica exercere oportet. Nam & in veteri lege Moyses & Aaron locum summi pontificis tenuerunt, & filii quoque Aaron officium sacerdotale in secundo gradu sortiti sunt. Ad vos enim plebium pertinet cura & solicitude, & ex vobis pendet eorum salus, utilitas, atque animarum profectus. Scriptum namque est de vobis: *Labia sacerdotis custodiunt scien-*

Malach. 2.